


Kern 1754
(7-7)







(3)

FASCICULUS
TENTAMINUM PHYS. MED.
ELECTRICORUM
CUM
NATIS INDE REFLEXIONIBUS.

~~~~~  
QUEM  
IN HONOREM  
ONOMASTICÆ, NATALITIÆ,

AC

AD EPISCOPATUM  
CONSECRATORIÆ  
FESTIVITATIS  
REVERENDISSIMI AC CELSISSIMI  
PRINCIPIS  
SUI  
EDIDIT

HENRICUS GROSSER,  
PHIL. ET MED. DR. PRACT. COLL. MED. PRACT.  
ELECT. PALAT. SODALIS. PHYSICUS EMER.

Ex Bibliopol. Rieppenri.

Wirzburgi, typis Francisci Sebastiani Sartorius, Typ. Aul.





Nil rationi tam consentaneum, quam  
locis & temporibus adaptare sermones.

REVERENDISSIMO  
AC  
CELSISSIMODOMINO  
DOMINO  
FRANCISCO  
LUDOVICO  
SAC. ROM. IMP.  
PRINCIPI  
AC  
EPISCOPO  
BAMB. ET HERBIP.  
VIGILANTISSIMO  
FRANCIAE ORIENT. DUCI  
CLEMENTISSIMO



DOMINO  
AC  
PRINCIPI

SUO

GRATIOSISSIMO

MICHAELIS CLEMENSIO

ERIGENDI QVINTI DRC

CLEMENTARIA





Ludovici magni olim gallorum Regis, mense Septembri, sole quippe libram subeunte nati, augustissimæ Nativitatis Epocham doctissima gallicæ Musa, eventu, probatissimo characterizavit symbolo: *Sub justo temperat orbem:*

Beatissima hæc ipsa syderum constellatio, Decorem AUGUSTO NOMINI TUO, ILLUSTRISSIMÆ NATIVITATIS TUÆ lætum præfagium, FAUSTISSIMÆ CONSE-CRA-

CRATIONIS TUÆ felicissimum  
jamjam addidit auspicium:

Stola temperas, quod ense ju-  
dicas, æquo moderas, quod justum  
imperas: Exsplendescens auspica-  
tissimi Regiminis Tui Genius insolat  
Ecclesiæ splendorem, decus adjicit  
aris, vegetat Franconiaæ Musas, rem-  
publicam recreat, sustentat, tem-  
perat.

Ante literatissimos oculos  
Tuos, sole meridiano clarus per-  
lu-

Iustrantes omnia paginas. Hacce de-  
votissime depono utut tenellas, ve-  
ritate, tamen & materia integro non  
cedentes volumini. Hoc fida imita-  
tio, illud unanimis Physicorum con-  
sensus confirmant.

Natura enim prætiosius nihil,  
nihil mysteriosius, & simul comu-  
nius nihil habet Thesauro Electrico,  
desumpto ex visceribus studii phy-  
sici, ad quod potentissimi Orbis Prin-  
cipes & authoritatem, & Thesauros  
suos

suos indies elargiuntur, consecrant,  
dedicant; optime convicti, quod  
naturæ proprietates indagare, nihil  
aliud sit, quam divinum naturæ au-  
thorem quærere, invenire, & ado-  
rare; Attestante jam jam Tertulia-  
no; ideo naturam primo, hominem  
ultimo creatum fuisse, ut oculos  
suos in hanc aperiens eo facilius in  
Deum, illiusque prophetias crede-  
ret:

Cur

Cur verear pagellis hisce de  
Electrica virtute medica, augustum  
**N O M E N T U U M** inscribere!  
Electrica enim virtus Potentissimo-  
rum Principum arcanum est, quo  
subditorum animos ad se trahunt:  
TE Patriæ Patrem esse noscis, &  
nullum, nec privatum nec infimum  
e gremio tuo excludis. φιλανδροπία  
tua Principalis nullum hominum sta-  
tum, influxu suo prætergreditur,  
fontis instar, dives in omnes, solis  
instar,

instar, temperat omnes. Eodem in-  
tuitu, quo observat Principum aulas,  
plebeculæ respicit mapalia, eadem  
aurium facilitate, qua magnatum  
præstolatur imperia, populi preces  
excipit; quaque manu referat diviti  
januam, eadem pauperi recludit, re-  
veretur & in pretio habet Mydram  
Episcopalem, Principalemque pur-  
puram tuam, sed & lacero pallio  
amictum amplexatur subditum: nihil  
enim a dignitate Principali TUA

alie-



alienum putat, quod Clementia &  
Pastoralis benignitas sui muneris esse  
ducit: virtute æmularis Electrum:  
*attrahit hoc paleas, attrahit ille co-*  
*dros.*

Quæ cum ita sint, nullus dubi-  
to, quin Reverendissima Celsitudo  
Tua, qua fronte me non ita pridem  
exceptit, serena scilicet & gratio-  
sissima, simili etiam vultu justo &  
temperante exiguum hocce munus-  
culum inspicere non dignatura sit.

Hoc

Hoc enim est munus literatorum,  
hoc habent, hoc possunt dare.

Faxit Deus, ut sub fortuna-  
tissimis syderum constellationibus  
& natus, & consecratus; sub iis-  
dem etiam omnigena Tua salubritas  
una cum Ecclesiæ, Patriæ, civitatis,  
& academiæ (duplex in Principum  
humeros cœli depositum) incre-  
mento, intacta, & intemerata diutif-  
sime perstet, floreat, vigeatque.  
Cujus sub voti Sacro

ad cineres usque humillimus, &  
devotissimus Auctor.

## Ad Lectores

præcipue

Ad doctissimam DD. Archiatrorum  
triadem, DD. facultatis Med. Professores,  
cæterosque DD. Collegas omni humanitatis  
studio & nomini meo salutatissimos:

**A** quo animo, non sine gratæ mentis  
testificatione, diu mihi cognito, Vi-  
ri expertissimi, pagellas has fida experien-  
tia excussas, non vano ex honoris affectu,  
sed ex publicæ utilitatis amore conscrip-  
tas accipite. In Appollinea hac Musarum  
sede pericula Electrica, sagacissimis expe-  
rimentis EGELIANIS, WILHELMIANIS, &  
PICKELIANIS ad amussum & Regionum ex-  
teriorum stuporem, tentata & illustrata,  
me non latent: ergo tenuis hic meus labor  
Crambe bis cocta habebitur.

Adeo severi in judicando non estis:  
Viri optimi, notum perspectum, habeo,

ut



ut labores laboribus, inventa inventis addere, licere non reputetis, imo officium esse literatorum. Si quid humani passæ sunt hælineæ, me hominem reputabitis, a quo humanum nihil alienum.

Favorem itaque vestrum, qui totus vester sum, & omnigenam galenicam felicitatem vestram animitus gratulor, solicitissime mihi expeto, meamque in steriliissimo novercantis fortunæ campo ad huc remotissimam mihi meisque non despondeatis quæso: habete ergo has pagellas ut Tesseram mei erga vos & vestros omnis humanitatis studii nunquam defuturi. Et vos cœlo beatissimo Comite optime habere pergit: & favere



# TENTAMINA PHYSICO MEDICO ELECTRICA.

---

CAS. I.

§. I.

 Centurio quidam ad conscriben-  
dos martis candidatos constitu-  
tus, dolore valde acuto obrui-  
tur ex dextro latere, qui se  
sensim & saepius ad nates, & femur usque ex-  
tendebat, imo sedentem, aut in lecto cuban-  
tem ita excruciat, ut nolens volens quietem  
abrum-

2 Tentamina physico medico electrica.

abrumperet, & lectum relinquere debuerit ægrotus. Factum tamen, quod in hujusmodi malo accidere solet sæpius, ut intervallis dolore vacuis frueretur, interim mali violentia, quam ipsius diuturnitas ægrotum necessitatibus, variis ut se committeret medicorum consiliis; varioque exin resultato remediorum usui, v.g. evacuantium, decoctorum præsertim ex sarsaparilla, Emplastrorum, unguentorum nec non balneorum; &c. quorum omnium effectus nullus erat.

§. II.

Refugiebatur itaque ad electrum, frequenter ex osse sacro versus femur & ex ipso femore excitabantur scintillæ coloris rubescens, vividum ægroti imprimentes sensum. NRO. 1.

Musculi durante electrizatione se contractabant, & motu convulsivo sat violento fuere agitati. Elapsis septem minutis desistebatur paululum ab operatione; denuo septem alia minuta electricando consummebantur, nulla tamen mali diminutione concomitante. NRO. 2.

§. III.

LIBRARY

§. III.

Ast tempore vespertino tribus nempe ab electricizatione horis dolor diminuitur, ægrotus lecto se Committens brevi in omni parte electro tentata punctionum quendam sensum persentis cebat, illi a scintillis excitato æmulum. NRO. 3.

Somnus erat satis pacatus, nec interruptus, potius solito diuturnior, subsequentे mane dolor integrum obruebat brachium, adventante tamen nocte desinens; & indicata mali sedes dolore libera permanxit.

§. IV.

Duobus sine operatione effluxis diebus, seunda vice ægrotus electro permittitur; scintillæ æque apparebant vividæ ac dolorificæ; muscularum agitationes eadem, ac ab initio, fuere. Hacce sensatione non obstante non multum levaminis a secundo hoc electri periculo percipiebat ægrotus.

§. V.

Atamen Commotus muscularum a qualibet scintilla excitatus ad continuandam opem

A

electri-

electricam præbebat animum, & ad judican-  
dum, hasce musculosas contractiones sufficien-  
tes fore, attenuandis & ad circulum adaptan-  
dis humoribus viscositate sua vasa obstruenti-  
bus; unde doloris summe rebellis causa repu-  
tabatur.

### §. VI.

Ægrotus itaque tertio ad electrum se com-  
mittebat, ipsiusque dolor paulo post, aperte  
satis diminuebatur; fors citius restitutus fuisse  
ægrotus, nisi timore permotus, quodiriana  
electrizatione nocendi ægroti sanitati, inter-  
valla posuisset. Interim ad optatum rei even-  
tum pervenitur; tribus aliis ab ultima electri-  
zatione elapsis diebus denuo repetebatius elec-  
tri periculum sub sequente plenaria mali cessa-  
tione, quam somnus nunquam interruptus,  
invalescens corporis habitus, & robur, flori-  
dus faciei color, & perfecta sanitas economi-  
tabantur.

REFLE-

*cum natis inde reflexionibus.*

§

## REFLEXIO PHYSICO MEDICA.

Ad NRUM. 14

### §. VII.

Scintillas ejusdem coloris jam saepius observare licuit; cum dolore admodum aucto subsequente; color scintillarum non semper idem est, ab initio enim operationis electricæ magis minusve violaceus est, habita nempe virtutis electricæ ratione. Cum vero Electrum summe armatum, tunc scintillæ inclarescunt omnino ardenti flammæ vix dissimiles.

### §. VIII.

Non raro quoque observavi colorem scintillarum saepius mutari, mox vividum in pallidum, & ab hinc in lividum transmigrare; præsertim, si fortioris aut citioris electri effectus causa, igne admoto vitrum calefactum fuit.... Annon particulæ admodum subtile ex igne prosilientes ac sese materiæ electricæ unientes hasce colorum mutationes producunt?

A 2

Ad



## §. IX.

Punctarius ex scintillis sensus necessario frementem in musculis, motui præsertim destinatis producere debet motum; inde sit, ut, si scintillæ ab extremitate tendinis aut etiam in musculi ventre excitentur, motus involuntarius in omni parte, cui inservit, subsequatur. Inter diversos sub varia electrizatione observatos muscularum motus tres memoratu digni mihi videntur. Primus est ille, quo caput sine intermissione hoc ac illuc agitur, scintillis ex musculo sternomastoideo eliciris. Secundus, si ex musculo deltoideo scintillæ evibrantur, brachium & humerus elevantur. Tertius denique motus involuntarius fit in toto brachio, si ab extremitate tendinis musculi pectoralis scintillatur.

## §. X.

Hujusmodi convulsivos motus præsertim in paraliticis observare licet, si tantum ab anteriore brachii parte scintillæ eliciantur. Hoe ipsum

ipsum experimentum in me ipso instituens  
æque minus motui resistere potui, ac ille quem  
brachium & digitos meos firme tenendi causa  
super ipsum fulcrum mihi adjunxi.

Ad NRUM. 3.

§. XI.

Hoc phænomenon sæpius videre est, elec-  
tricitate præsertim fortificata; paulo post ope-  
rationem in partibus scintillando vexatis idem  
unctionis sensus observatur ac sub ipsa electri-  
zatione. Præsertim in lecto. Videtur itaque  
lecti calorem multam in casu substrato habuisse  
influentiam. Siquidem plures jam electrizati  
hoc perceperunt, postquam btevi tempore se in  
lecto tenebant, imo etiam sub media nocte,  
ita, ut eorum somnus interruptus fuerit.

§. XII.

In aliis iterum electro subiectis præsertim  
ætate profectis, hujus modi punctorius sensus  
nec de die nec nocte obvius erat, licet efficaci-  
satis modo fuerint electrizati, alii iterum, &



mane & sero electricizati fibris admodum delicatis est sensibilibus donati, ad lectum commissi, paulo post in manibus & digitis puncturas observarunt plane easdem, ac mane.

## CAS. II.

## §. I.

**F**æmina quædam ætate sexagenaria integro jam anno & ultra graviter se audire ex auro dextra apud me conquerens, remedium ex me expetiit, pluribus adhuc verbis exponens, se ex eo tempore, quo periodicum muliebris naturæ tributum cessabat, variis rheumaticis insultibus fuisse vexatam mox caput, mox collum, nunc brachia & pedes vehementi dolore affidentibus, susurru aurium aquæ currenti æmulo concomitante; nec lecto se tenere, nec in sanam potuit cubare aurem, quin ex opposita aure imani cruciaretur dolore, & sic in latus se vertere cogeretur qui dolor cum incipiente gravi auditu & perpetuus & molestior fieri cœpit.

## §. II.

§. II.

Ratus itaque hanc auditus gravitatem ab eadem antea in corpore vaga serositatem provenire, & ob suam indolem inviscantem in membranis, & aliis auris partibus nunc fixam tene-re sedem, & perspectis similibus in casibus elec-tricitatis viribus, denuo ad illas jure refugien-dum esse censui. Ope itaque simplicis vitri ex aure tam interna quam externa & vicinis temporum regionibus elicui scintillas & minu-torum spatio frequentiores; quas dolor admodum vivus, auris rubedo, & non exiguis il-lius calor sequebantur. Nro. I.

§. III.

Num hic electricus processus cujusdam fuerit effectus, impatiens examinabam; aure itaque sana digito exacte clausa in certa quadam a foemina distantia quædam proferebam verba, voce admodum bassa, & ecce foemina, quæ antea verba etiam altiore voce prolata non nisi obscure, partim omnino non intellexit, nunc omnia exacte audit & intelligit, hac ipsa nocte

A 4

dolore



dolore libera, utrique, quod integro non potuit anno, potuerat incumbere auri.

### § IV.

Elapsis tribus diebus ægrotta se denuo ad electricandum se sistit, vitro calefacto scintillas multo vividiores, & splendidiores dolore vehementiori stipatas excitavi. NRO. 2.

Quo facto integra auris regio, quasi vesicatorio excepta, erubuit cum optato revera effectu; ægrotta enim discursum personarum in vicino cubili præsentium hac in ipsa nocte, in lecho cubans, distinctissime audivit, calorem auris adhuc subsequentibus diebus persentiens; aliis interim ipsi ambulanti obviis, & loquentibus personis attestantibus, quod solito melius audiret, nescientibus, illam electrico beneficio usam fuisse.

### §. V.

Sequenti die æquali electricitatis vi tertio fuerat excepta 10 minutorum spatio; qua operatione finita confirmans semet ipsam nunc sentire restitutum ex integro auditum. Efluxis qua-

quatuor abhinc diebus me ipsi voce admodum  
humili loquentem iterum iterumque certio-  
rabat, se omnia audire cum plenaria & sussur-  
rus & dolorum cessatione, quod etiam elapsis  
pluribus mensibus affirmabat. Nro. 3.

## REFLEXIONES PRATICÆ.

Ad NRUM. I.

§. VI.

Hoc ipsum phænomenon jam sæpius ani-  
madverti, in aliis corporis parribus generose  
electrizatis. Rubedo ordinarie a collectione  
plurimum pustularum lentiformium provenit,  
quæ vero in subjectis sensibilioribus una vide-  
tur esse plaga rubra, erisipelaceo stigmati non  
dissimilis.

Ad NRUM. 2.

§. VII.

Igne admoto electrum promptissime atque  
efficaciter armatur, acsi vitrum pluribus minu-  
tis fuisse rotatum, scintillæ virga ferrea ex  
corpo humano excitatae multo sunt frequen-  
tiiores & vividiores, & dolor solito vehemen-  
tior: sic etiam vitrum post rotationem, igne

A 5

tamen

tamen supposito diutius suam conservat, virtutem electricam, non obstante humiditate aëris alias tamen impedientis; hinc ex eo tempore, quo vitra calefacere soleo, virtutem electricam semper observavi eandem quacunque regnante aura aut ventoruin plaga.

### §. VIII.

Ast, unde virtus electrica igne supposito augmentata? An ab augmentata vitri elasticitate, & consequenter a coacta illius fibrarum oscillatione major fluidi electrici quantitas evibratur? Aut quia ignis calor dispersus, a manu & machina aëris humidi accessum arceret, annon potius particulis igneis sese cum electrico effluvio jungentibus hæc concentratio adscribenda? .... Admove flammam ceræ ardantis fulcro impositæ, catenæ electricizatae, & ex illius extremitate apparebunt scintillæ vividiores & magis pungentes.

### Ad NRUM. 3.

### §. IX.

Hanc eandem medelam in alio quodam subiecto, gravitate auris sinistræ cum susurru coniuncto,

juncto, laborante observavi adhibitis 5 minutis electricando. Fuisse vero plures 10 aut pluribus annis gravi auditu laborantes affirmem necesse est, qui saepius 10 aut 15 minutis electricari sine fructu, abiere. Quam vero conjecturam virtutio parvum potius solidarum, quam fluidorum adscribere fas est.

### CAS. III.

#### §. I.

**R**emedium in quodam morbo semel aut bis cum utilitate applicatum, etiam in aliis ab eadem aut saltem verosimili causa generatis, similem edere effectum, facile est concludere: Suggestentibus sane observationibus, ab eadem causa saepius fuisse morbos productos similes, licet non easdem semper occupaverit partes; & revera inde sit, ut varia mala ad primum oculi intuitum, nullam inter se habere connectionem, reputata, nihilominus inter se differant non nisi loco, quem occupant. Sana ideo praxis hippocratis etatuum sancit, stabilitaque. Sæpe eadem causa est, solus autem locus facit differentiam.

#### §. II.



## §. II.

Postquam itaque electricitatis efficaciam variis in casibus felicis fuisse successus, convincebar; diu mecum meditans anceps hæsi, num & in pertinaci capit is dolore aparenter ab eadem causa producto efficacia electri non in auxilium vocanda: sperans fore, ut votis respondeat eventus, sequenti ordine substratum suscepi tentamen.

## §. III.

Rusticus quidam repantino capitis dolore ex anteriore parte supra dextri oculi orbitam, omnem internam ejus partem occupante obtutus fuit; oculus digito parum pressus nullo externo viso tumore sevissime dolebat; qui dolor 6 horarum spatio magis magisve augeri cœpit: excitatis itaque ex oculo quinque minutorum spatio scintillis & vividis & frequentibus, dolere minus, non tantum videbatur æger, sed se vix non deliberatum creditit.

## §. IV.

Durante operatione ægrotus sensum quendam habuit, quasi spirituosum quid, aut aliud irri-

irritans occulo esset inspersum; circa versperum dolor perfecte dissipatus, nec alterum tentavit insultum. NRO. I.

§. V.

Medela hæc tam prompta, sine omni fatali sequela animum meum ad sequentem, sed magis considerabilem invitavit, curam, periodicæ cujusdam cephalalgiæ. Cujus en historiam.

§. VI.

Duabus ab orto sole horis ægrotus persenscebat supra oculum sinistrum, dolorem quendam levem, sese sensim versus tempora extendentem & repente in pejus ruentem, palpebra mox intumescens nullum digiti sine imani dolore admittebat tactum. Dolor per diuidum diem non tantum invalescens, sed sex horarum spatio desperate continuans non nisi denato sole evanuit.

§. VII.

Examinatis quibuscumque circumstantiis, ægrotus se coryza laborasse ante annum & ex

eo,



eo, hoc malo obrutum fuisse successive incre-  
cente respondit. Nro. 2.

Ex regione dolente scintillas elicere incipi-  
ebam decem minutorum spatio vix at ne vix  
operatione finita dolor notabiliter diminutus  
non tantum, sed & talis persistit eo etiam tem-  
pore, quo alias increscere solitus, quin imo bre-  
viorem absolvit paroxysmum.

### §. VIII.

Sollicitabam ægrotum ut sequente die in  
momento temporis me conveniret, quo mali  
rerudescens ingressum observaret, tentandi  
causa, utrum paroxysmo sœvienti anteverti  
non possit; ægrotus statim se sistit tempore af-  
firmans, se quidem insultum sentire sed soli-  
to tardius. Electrizatus duplo tempore lon-  
gius, quam die præcedente impediendi causa,  
quominus Colluvies morbifica, ibi, ubi se-  
dem figere solita, stagnaret; hunc scopum af-  
sequi non potens, sed iteratam doloris dimi-  
nutionem & abbreviationem obtinui.

### §. IX.



§. IX.

Ægrotus tertio ad electrum admissus, in-  
tegro horæ quadrante, admodum notabiliter  
dolorem diminutum & multo breviores latus  
declarat. Nro. 3.

Quia vero inopinata itineris suscipiendi  
causa avocatus fuit, finem curæ impónere debui-  
mus; quadrante anni elapsò redux, me vi-  
dens, sese quosdam sed nullius momenti ab  
eo tempore ad huc perpeccum insultus, & sen-  
sim deliberatum permansisse fideliter assecurabat.

REFLEXIONES PRACTICÆ.

Ad Nrum. I.

§. X.

Matrona quædam bis electrizata æque feli-  
ci eventu deliberata fuit dolore continuo, ex  
angulo oculi extero, quo duobus mensibus  
& ultra misera laborabat; hic ipse dolor extende-  
bat se ad dimidiā temporum plagam & occu-  
lum afficiebat valde dolorose, ex quo stillabat  
frequentius, tempore præsertim nocturno hu-  
mor quidam viscidus.

Ad



## Ad NRUM. 2.

## §. XI.

Hujusmodi generis morbi, ut saepius experientia docet, ordinarie periodum morborum auctorum instar, concomitantem habent; imo dolor ad diem usque 40um sese extendisse observatus fuit; in substratis casibus coryzam aut concomitasse aut morbum antecessisse vidi; propria hoc me docuit experientia, ubi rebellis ex fronte dolor coryzam sequebatur, in vanum adhibitis & venae sectionibus, aliisve pluribus remediis, nonnisi elapsis 14 diebus illo sponte sua deliberatus fueram. Ex hac fideli observatione itaque sequitur, multum interesse, Characterem doloris bene interstingere & nosse, qua in specie doloris & quibus in casibus electricitas conveniat, & quale exin auxilium sperandum sit.

## Ad NRUM. 3.

## §. XII.

Alius quidam officialis furioso dolore periodico ante allegatis non dissimili affectus, post trinam

trinam electrificationem integre convaluit, dolor notabiliter post operationem diminutus, & solito multo debilius se habuit ægrotus, usque dum plenarie cessabat paroxysmus, & hoc interdum consueto citius accidit.

Ad NRUM. 4.

§. XII.

Miraculosa licet efficacia electri variis in cephalgiis, a substrata causa ortis fuerit, quæ capitis integumenta, aut periostium afficiebat, interim attendendum & caute procedendum, ne ad omnes cephalgias beneficio electri aburamur; v. g. ubi dolores fixi & continui, repente increscentes determinatam metastaseos sedem figunt; id quod accidere solet in subjectis lue venerea infectis.

§. XIII.

Probabile enim & valde verosimile est, in hisce subjectis dolorem a carie interossea provenire cum exostosi juncta, quæ caries internam ossis superficiem occupat. Hic ipse dolor

B

poteſt



potest etiam ab accessu in substantia medullari provenire. In hujusmodi casibus non in electro sed in arte chyrurgica vera salus: Huc casum quendam ponderosæ materiæ gratia paucis adhuc exponere liceat; quem in viro fere septuagenario ante aliquot ab hinc annos obseruavi, quem nescio ex incaute contracta gonorrhœa maligna, puduit consilium petere & sic ex sua incuria ad abscissionem glandis, vix non & penis debuit se resolvere, his experientiis insigni tumore fere osso, sternum obidente laborabat, quo evanescente, terribili dolore in dextra ossis temporum regione vexatus tam diu, usque dum minora ossicula nigerrima ab osse temporum sese desquamabant, & denuo ex integro convaluit & vivit ad huc; huic usum decocti fumariae, & illius extractum suasi, quod ipsius uxori ipsa sensim confidere multo usu didicit.

---

**CAS. IV.**

CAS. IV.

§. I.

Rustica quædam uxor levioribus ab initio doloribus vagis ad articulos mox brachii dextri, mox pedis præsertim hyberno tempore obruta, varia primo in usum trahebat remedia; quibus omnibus irritis tumorem brachii & manus abigere non potuit, nec & digitos flectere, nec manum aperire nec claudere, sed otisum brachium ligaculo ad collum appenso firmatum sustentare debuit.

Omnibus in vanum tentatis ad electrum invitabatur arthritica; 10<sup>mo</sup> Januarii octo minutis ex brachio, ex vola & dorso manus & ex digitorum articulis eliciebam scintillas. Difficulter admodum illas primo obtinui, sed successive apparuere perbelle prosilientes scintillæ. NKO. I.

Hujus operationis successus valde videbatur sensibilis, quia fœmina & brachium & manus brevi tempore & majori cum facilitate quam antea movere potuit.

B 2

§. II.



## §. II.

Motus convulsivi in musculis observabantur, manus digitii & brachium aperte agitabantur sine sensatione tamen doloris, si illum a scintillis excitatum exceperis; quæ post quædam electricationis minuta difficulter fulgurare videbantur, sed formabant lucem cærulescensem coniformem nitrizante sono concomitam, quasi humidam velles accendere cantem. Sed conductore paulo proprius fœminæ electricitatæ admoto, repentina prosliebat scintilla. Nro. 2.

## §. III.

Subsequente mane brachium & manus notabiliter detumuere; optatum sperans successum, eandem diei præcedentis operationem repetii, & paulo post ægrotta brachium & manum facilius commovere valuit; inter operationem animadverti, quod susurrus semper præcederit scintillam fulgurantem, examinatis omnibus placentam resinosa, cui fœmina insistebat, sudore humidam inveni, qui tibia alia ex grossa lana contexta penetrabat. Nro. 3.

## §. IV.

§. IV.

Tertio die electricitate excipiebatur ægrota integro quadrante in brachio & manu; quæ partes adeo transpirare incipiebant, ut totæ quantæ quasi illinitæ viderenter sudore.

§. V.

Quarto ab electricatione die, ægrota varia notamina domestica calamo notare poruerat, manus digitique omnino detumuere; excepto brachio versus articulationem.

§. VI.

Quinto & sexto die admodum tumorem brachii scintillis periclitabamur sed minori cum successu, electricitas enim multum erat debilitata, & illius efficacia non parum infracta.

§. VII.

Septimo die-denuo viginti minutis instituēbatur experimentum adaucta studio electrici efficacia, qua factum, ut pars electricata ingenitem contraheret rubedinem, & ægrota sentiret in parte affecta pungentem titillationem cum dimidii tumoris detumescentia.

B 3

§. VIII.



## §. VIII.

Die 8vo operatio electrica eosdem, quos die præcedente, causabat effectus, tumor non nisi magnitudinem unius pollicis adæquabat.

## §. IX.

Nova tandem & ultima operationis die 25. minutis extendebam experimentum: pars affecta rubescet, cum sensu pectorio de nocte, rumor integre evanuit: decimo die redux ægrota partem electrisatam mihi ostendens, quam oedematosam parum habui, & consuli, uti llam spiritu camphorato confortaret, & sic ex integro convaluit sine omni infausta sequela.

Nro. 4.

## REFLEXIO ad NRUM. I.

## §. I.

**A**ccidit jam saepius in variis hominibus hæc scintillarum recussatio admoto licet consueto ferro; præsertim in partibus ægrotis interdum non nisi cum difficultate scintillas obtinui. Quod ipsum phænomenon jamjam alii obser-

observatores conquerebant; semel ferrum collo duorum hominum perfecte sanorum admovi, musculos tantum agitandi & commovendi causa, sed in vanum:

## §. II.

Interim mihi gratulabar de hoc viso ipso phænomeno, quod sagacissimus naturæ scrutator R. P. Henner p. m. f. in suo tractatu electrico nunquam satis laudando & vix non palnam præ omnibus aliis eripiente de cl. Mus-schenbrock allegat: qui testatur his verbis, tres se offendisse homines, circa quos variis temporibus electricitas nunquam circum fundi potuit, licet eodem tempore alii eadem largiter imbuerentur. Primum fuisse hominem robustum, vegetum perfecte sanum ætatis 50 annorum. Alterum fuisse paraliticum juvenem 23 annorum. Tertium mulierem fuisse sanam 40 annorum: quænam autem ratio subsit, me non solum latere credo. Nisi hominum ab electro alta mente sibi infixam perhorrescentiam, aut singularem quandam ideosincrasiam irrite accusaveris:

B 4

§. III.

## §. III.

Videtur mihi hæc ratio tam diu in democratris buteo latitatura, quam diu non possit præcise determinari, quamnam partem in corpore humano influxus electricus primum affectet, an solida, an fluida, & inter illa, an nerveum aut sanguineum influxum: an ad cor, an ad cerebrum primario affluat & sensim se ad æquilibrium disponat.

## §. IV.

Id unicum tantum allegare licet. Quod cutis partis affectæ in casu substrato, fuerit parum nigricans, & quasi contusa & exarida: credibile itaque est, in partibus humore morbiflico obstructis principium quoddam scintillas impediens hærere: ast unde natum hoc phænomenon? an quia ad inflammandum corpus non tantum sufficit violenta ignis elementaris ubique diffusi agitatio, vel quia potius necessaria est particularum generis cuiusdam differentis v. g. sulphureatum cum electricis conjunctio & unio?

## §. V.

## §. V.

Unanimis experimentorum consensus, in sanguine, in lympha & in omnibus animalibus partibus plurimas sulphureas particulas statuit, quo posito probabile est, quod fluidum electricum illas ad motum excitet, dividat & exaltet. Et sic v. g. supponamus, quod in casu allegato vasa capillaria brachii & manus transpirationi insensibili inservientia lympha quadam tenaci & viscida fuere obstructa; tunc facile concipi mus, quare ab initio electrificationis aut difficile sit has obstructiones dirimere, aut scintillas excitare; quae non nisi 3tia aut quarta electrificatione instituta tamen obtinentur.

## §. VI.

Hæc meditanti liceat adhuc ad experimentum musschenbrockianum superius allegatum paucis revertere. cum itaque probabile est, fluidum electricum summam cum sulphure habere affinitatem, ergo possumus concludere, quod fluidum electricum ad suum non perveniat effectum, ubi particulæ aut deficiunt, aut in debita præparatio ne & quantitate desunt, & sic non propor-

B s tio-



tionata cum electricis unio, effeſus electri irritos reddet: si mercurius vivus cum ſaccharo in pulverem homogeneous conterendus in mortario vitro cum piftillo tali trituratur, ad vomum ſecedit labor, ſi vero in æneo mortario labor ſuſcipitur, nunquam ad scopum pervenimus; quin mercurius ſempre millesies globulosus appetet: hoc phænomenon affinitati mercurium inter & metallum adſcribo. An non paritas quædam in electro latitans ad caſum muſchobrockianum applicanda?

## Ad NRUM 2.

## §. VII.

Hujusmodi phænomena ſæpius obſervare licuit, etiamſi partes conductorē tentatæ, ſanæ vel ægrotæ fuerint, ſcintillæ ſempre prompte ſatis radiabant, ſed ſempre præcedente radio lucis cuiusdam ex violaceo cærulescentis, ab extremitate ferri propagantis, auditio quodam ſuſuru ſcintillam retardantis; hiſce obſervatis, quod hoc redartationis aut lanquentium ſcintilarum phænomenon non accidat, niſi pars conductorē tentata madida, aut ſudore humida ſit;

con-

concluēbam transpirationem posse augmentari, quin sudor percipiatur, aut humiditas in parte electrifata.

### §. VIII.

Cum successu temporis edoctus fui, hoc phænomenon rarius observari in personis cute rariore aut exarida præditis & minus transpirantibus; nisi fortificato admodum electro adhibito, aut tempore minus calido electricitas tentata fuerit: hoc ipsum accidens interdum observare licet in corpore inanimato, aut virga ferrea electrifata aut humida, aut effluvio electrico vaporibus humidis maritato. Dantur enim varia corpora ex improviso humida, quæ, nisi antea igni admota, difficillime scintillas projiciant; transpiratio enim insensibilis composita est exdiversis subtilissimis particulis, quarum plurimæ aquosæ sunt, quando itaque hæc augmentatur, non nisi cum difficultate scintillas obtinemus. Susurrus itaque scintillas præcedens tanquam signum habendus est augmentatæ transpirationis, quo facto, felicem rei evenitum sperare fas est.

Ad



## Ad NRUM. 3.

## §. IX.

Nec inter nec post operationem ulla crisis apparebat, quod in hujusmodi morbis sæpius accidere solet: nisi humiditatem, quæ ex pedibus transpirabat, ipsam crisin habere velis, aut prædentere, quod miasma morbificum per porosam cutis periphæriam evaporaverit; secundum observationes D. Boze, Nollet, jallabert, quorum ultimus etiam in vegetabilibus similem effectum se observasse asseverat.

## Ad NRUM. 4.

## §. X.

Hæc observatio late affirmat, per virtutem electricam humores viscosos & tenaci sua amurca in quadam corporis parte stagnantes resolvi, v. g. in rheumatismis utut digestu diffilimis.

## CAS. V.

**M**ercator quidam ambulans, natione Saxo, pallidi vultus & temperamenti phlegmatici me conveniebat exponens, se ante aliquot

annos

annos rebelli quodam rheumatismo mox ad caput, nunc ad faciem circumvagente cum enormi dolore & tumore laborasse; hoc ipso miasmate morbifico ontodalgia omnia respuens remedia ipsi fuerat illata; & quod consideratione dignum; ad ingressum hyemis ab intercepta fors transpiratione ad malleolum dextri pedis, internum tumore ingenti vexatus fuit ægrotus; qui sensim increvit cum stillante per integrum hyemis cursum copiosissimo quodam ichore, cuius fluxus difficulter admodum cessabat; hyeme narratum modo paroxysmum præcedente, Sanguinis sputum sæpius recurrens cum magna vitæ jactura ægrotum obruebat, cuius affectus a depositione fors materiae rheumaticæ dartarea ad interiora, provenit, quia eo ipso tempore omni odontalgia & cephalalgia liberatus vixit ægrotus.

### §. I.

Restituta sanitate; effluxis in circa tribus mensibus de novo humoris congestio ad genu dextrum se manifestat cum ingenti dolore; quem denuo rumor ad extremitatem femoris prope

prope articulationem sequebatur; sensim ad ipsam articulationem & super femoris plagam se extendens; unde factum ut ægrotus non nisi difficulter gressus facere, nec calorem lecti non nisi summo cum cruciatu ferre potuerit. In quo fatali statu integris 7tem mensibus miser permansit.

## §. II.

Observatis itaque omnibus circumstantiis & antecedentibus, & consecutis, facile judicare fuit, tragædiam ab humore quodam misérabilis suum trahere ortum: quo subsistente ægrotus omnibus aliis incommodis alias periodice recurrentibus liber permansit; ergo ex hac ratione non nisi summa cum cautela ægrotus pertractandus videbatur; tactu itaque cautele examinata congestio valde profundam fixisse sedem suam, & non tantum integumenta, sed etiam musculos, illorumque afficere extremitates tendinosas inveniebatur.

## §. III.

Rubedo tamen partem obsidens cum exigua quadam intumescencia in externa femoris pla-

ga

ga sine dolore & pruritu, epidermitis integro duorum mensium spatio continua exarescentia, & desquamatio ansam præbebant, ut ad dartaream congestionem, morbi causam concluderemus: cum vero omnibus in vanum adhibitis remediis mercator, qui jam saepius variis ad votum secedentibus curis electricis adfuit, tragediæ suæ impatiens, ad electrica se resolvit pericula diu ipsi suasa: quorum diurnus ordo & processus in sequentibus.

#### §. IV.

Simplici itaque vitro inchoabature electricitas, scintillis statim sed non tam frequenter erumpentibus ex parte affecta, sed minus radiantibus, quam in parte sana. Etsi pro prima vice electricizabatur horæ quadrante, nihilominus plaga scintillis tentata rubescit, ægrotus sublevatur, liberius graditur, nocturna fruitur quiete, cum dolore genu alias cruciante, notabiliter diminuto.

#### §. V.

Die secundo viginti minutis experimentum instituebatur. Scintillæ fuerant dolorificæ,

cir<sub>3</sub>

circa vesperum ægrotus sensationem experit  
tur pungentem in partibus electricizatis Pacatior  
de nocte quies & doloris sensus, ægrotum de  
mane, hora integra sudantem, ergebant.

### §. VI.

Tertio die ægrotus efficaciter 35 minutis  
electriczatus; & placenta picea, cui discalceatus  
insistebat, durante operatione sudore madebat:  
frequentiores in partibus electricis sensationes  
punctoriæ, de die jamjam, ægrotum inquietab-  
bant, perpetuus sudor & cessatio doloris no-  
tem concomitantur, sequente mane, intu-  
mescentia valde diminuta, mollis, & ad tactum  
facilius cedere observabatur.

### §. VII.

Bonus a præcedente die successus ad diu tuis  
prolongandum experimentum die 4to invitabat  
nos. Electricitatis effectus fuere notabiliores, par-  
tes nempe electricatae magnam contrahebant ru-  
bedinem, resinosum fulcrum sudore fluebat:  
ægrotus lecto commissus sudorem protrahe-  
bat notabilem. Nro. I.

Intu-

Intumescentia partis affectæ vix non evanescebat penitus, major motus augmentatio nostram spem duplicabat.

§. VIII.

Dies 5tus ideo notatu dignus, quod ægrotus tunc ab electro abstinenſ, nullum etiam de nocte sudorem amisit.

§. IX.

Die 6to operatio electrica tribus horæ quadrantibus continuabatur, paucis tamen interpositis intervallis; sensus punctorius circa vesperrum erat minor, sudor nocturnus ordinario diminutior, imo brevior, cum subsequente tamen extraordinario urinæ fluxu somnum interrumpente. Ægrotus nullum accusabat dolorem, plenaria fere partis detumescentia, eadem permansit.

§. X.

Die 7timo operatio æque diu ac efficaciter protracta magnam rubedinem & aliqualem partis electricatae intumescentiam causabat. N. 2.  
Ægrotus hac nocte dolebat leviter; non ob-

C

stante

stante impetuoso vento a meridie flante alias ipsi molesto, quiete dormit, & parum sudans. Urinæ fluxus ordinario non erat copiosior.

### §. XI.

Dies gravus nihil notatu dignum nobis exhibuit, nisi quod ægrotus punctoriæ sensatio-  
nis expers permanerit cum largiori urinæ flu-  
xu. Unde fors sudoris suspensio, ad quem  
ægrotus inclinabat Nro 3. provenit.

### §. XII.

Die nono genu ex integro fere detumuit,  
copiosior sudor & urina largior integræ me-  
delæ spem seminabant. Ad oppositum femur  
dartarea quasi congestione obfessum in plaga  
rubescente electricæ tentabantur scintillæ 5 mi-  
nutorum spatio, & in ipso talo, crusta quadam  
dartarea tecto, quæ mox decidit, & mox re-  
crudescebat.

### §. XIII.

Alterum itaque pedem parum tumidum  
electro excipiebamus, ægrotus, ex utro-  
que pede puncturas electricas persentiens,

de

de nocte valde inquietus erat, pes dexter minus rubore & hic & ibi colorem nactus esse naturalem mihi videbatur. Quo observato eruptionem particularum salinarum dartarum causantium stagnare aut ad massam sanguineam regurgitasse, & præcedentes vigilias & inquietudines causasse opinabamur.

§. XIV.

Hicce perpensis loco electricitatis repetendæ, a pulu duro & frequenti ductus, suadebam sanguinis missionem, quam tamen ægrotus ad alterum differebat diem. Interim ad recludendos cutis poros & ad transpirationem aliquâ liter a temporis injuria retropressam ut perveniretur; quiete se in lecto tenebat.

§. XV.

Decima die ægrotum domi invisebam, detractum sanguinem examinaturus; cum stupore illum vidi tenaci crusta tectum & decem lineis grassiorem; cuius pars rubra, nigra & oleosa erat. Ægrotus tamen febris expers, pulsus mollem & æqualem offerebat, circa vesperum

C 2

vero



vero parum febricitans, ex genu leviter dolebat.

### §. XVI.

Die undecimo rubedo pedis sinistri omnino disparuit, & levius quoddam vestigium tumoris in tarso super fuit Nro 3. Febris ad 7tem usque dies se extendebat debili tamen gradu, cum copia & sudoris & urinæ, & siti non exigua; cui decocto nitro mixto succurrebat. Omnis dabatur opera in resolvendo sanguine remediis usitatissimis. Sanguis iterate missus ad examen eandem sistebat glutinosam faciem cultro resistentem.

### §. XVII.

Febris effluxis 7 diebus intermittens, quidem, elapsis duobus aliis recrudescit denuo: durities pulsus & vehementia tertiam repetebat missionem sanguinis minorem densitatem exhibentis: quarto a V. sectione die, copiosa sudoris & urinæ crisis, pulsus naturalis parum tamen ordinario durior: hic tamen effluxo sex dierum spatio celerior; & ægrotus tribus denuo diebus febricitans subsequente sudoris & urinæ fluxu

criti-

critico summo cum fructu absolvebat curam  
restitante tamen levi ex genu dolore.

REFLEXIO ad NRUM. I.

§. I.

Ope Electricitatis non tantum acceleratur pulsus, secundum plurimorum observata; sed augmentatur gradus caloris ad sudorem usque, scintillis etiam non excitatis. Quod tamen phænomenon non nisi temperata aura & electricitate aliquot minutis prolongata, observandum est: ægrotus quæstionis, sub finem 2di diei sudorem contrahere incepit, qui qualibet nocte, durante electrificatione apparebat, calore lecti poros cutis relaxante apparenter promotus.

§. II.

Materia morbifica videbatur a proportione tumoris diminuti, quoque sudoris beneficio dissipari: ex quo experimento revera allegare non dubito; quod beneficium electricitatis præ omnibus diaphoreticis & sudoriferis medicamentis fibi primarium vendicat locum, præser-tim in morbis chronicis & incurabilibus, qui

40 *Tentamina physico medico electrica,*

metastasis a retrogressa materia arthritica, Erisipacea, dartarea accusant morbi causam, miraculosam affert opem: dummodo morbi cursum & genium, electrique methodum bene perspectos habemus: imo hac electricandi methodo decuplo plures sanantur morbi, quam methodo succussoria.

§. III.

Hisce itaque proprietatibus in electro firmatis, electricitatis auxilium omni jure implorandum censeo in omnibus morbis a transpiratione ob lympham viscidam & tenacem turbata, procreatis; consequenter in rheumaticis saepe summe refractariis fluxionibus; secundum indubitate hucusque experimenta, quod fluida electricata liberiorem per tubulos etiam capillares absolvant fluxum; & quidem in spatio temporis sexduplo brevioris, quam si naturali fluxui suo sint relictæ.

§. VI.

Quis ergo non videt a potiori, fluxum celeriorem redi fluidorum per vasa elastica fluentium, continuo motu oscillatorio agitata, veluti

luti ea corporis humani sunt? plusquam vero simile est, electricitatem ad dirimenda & referanda libero fluidorum cursui se opponentia obstatula, & ad proportionatam ipsis conciliandam fluiditatem, efficacissimam afferre opem: ad quem tamen salutarem scopum patientia temporis consulenda.

Ad NRUM. 2.

§. V.

Scintillarum punctiones saepe in partibus electricatis intumescentiam quandam post se relinquent, quae tamen, ut facile evanescit, sic minus timenda est.

Ad NRUM. 3.

§. VI.

Interdum humores hujusmodi generis morbos, non statim ita subtile & ad transpirationem apti reddi possunt; pro ut indies in morbis accutis observare licet; qua de causa natura beneficio urinæ hasce crudiores particulas e corpore, eliminante utitur.

C 4

§. VII.



## §. VII.

Idem hoc beneficium natura præsttit in casu substrato ad defectum sudoris fors a quadam particularum principii morbifici qualitate procreatū; an asserere implicat, fluidum electricum in partes sanguinis serosas agendo, illius fluiditatem augmentando, secretiones promptiores & copiosiores effecisse?

## §. VIII.

Primo enim unanimis medicorum consensus jam diu evicit, partem sanguinis serosam constitui ex aquosis, gelatinosis & salinis particulis; 2do aquam per communicationem fortissima inbui electricitate, qua in tenebris vividam etiam lucem spargit, præsertim calefacta si fuerit: quo dato non absurdum est asserere, aut dubitare, quam nam in Corpore humano electricum fluidum primario affectet partem?

## §. IX.

Dum de aqua sermo; pro libitu potest experimentum institui; utrum electricata aqua non præcipitet heterogeneas particulas immo,

utrum

utrum a putredine non vindicetur 2do,) an medicatæ, præsertim marte divides non particularem præ aliis præbeant meditandi occasionem ? An aqua electricata ad potum salubrior & singularis fors effectus? v. g. in casu, ubi non sine ratione potum  $\nabla$  frigidæ ante decubitum ad lectum alicui suademus; qui aquam a debili suo ventriculo non impune ferri respondet, &c. simile quid casualiter observavi.

## Ad NRUM 4.

## §. X.

Subita hæc dartari evanescentia, quo duorum mensium spatio femur erat obfessum, aperto nobis est documento, electricitatem summe esse efficacem in certis quibusdam cutaneis morbis, & quam circumspete electri auxilium in usum sit vocandum. In casu allegato non nisi unicum septem minutorum operationem adhibui, & materia morbifica spatio circiter duorum dierum partem obfessam dereliquit.

## C 5

## §. XI.

## §. XI.

Utique rationalis practicus facile perspiciet, tam promptam chronicī mali medelam, sine præcedente materiæ peccantis coctione, & succedente quadam crisi, fatalem debuisse post se trahere sequelam; subsecuta primo febris, & sanguinis detraicti extraordinaria condensatio claro sunt asserti argumento, & infausta sequela; interim difficile est, concludere electricitatem huicce malo nocivam esse.

## §. XII.

Frequentissima, potentissima artis remedia & tempori & methodo se accomodare debent: liceat v. g. allegare infaustos inflictionis mercurialis effectus antequam reiterata experientia cautelam practicam non tantum ad fugandum morbum, sed & ad deliberandum ab ulterioribus mali successibus indicavit.

## §. XIII.

Experientia itaque docente, remedia summe activa non nisi difficilime effectus dartareos  
refre-

refrenare, aut alios a scorbutico miasmate productos morbos, & convenientissime ad sacram electricitatis anchoram in eorum insultibus con-fugi, mihi videtur: dummodo cum sufficienti cautela id sit, id est gradatim procedendo, interwalla concedendo, usum internorum medicamentorum interponendo, v. g. decocta sudorifera aut aquas minerales: a vero quidem non abludit, falso interdum curam electricitati adscriptam fuisse, ubi praे farragine medicamentorum vix certo indicari potest, cui adscribendus sit effectus; si quis obtentus fuit.

## CAS. VI.

## §. I.

Junior quidam monachus annorum 30, habitus corporis valde sensibilis, per sylvam proficiscens, malitiosis & ineptiatis obrutus vagabundis, cum extremis vitae afferendæ minis, in timorem tam violentum incidit, ut non obstante promptissima sanguinis missione alioque medicamentorum confortantium usu, intempe-

stiva



46 Tentamina physico medico electrica,

stiva artuum inferiorum debilitate corripere-  
tur, quaque posita non nisi claudicante gressu  
incedere, & sine fulcro vix se erectum sustin-  
nere potuerit: paucō elapsō temporis inter-  
vallo lecto omnino affixus fuit, vehementer si-  
tiens & omni ciborum appetententia perdita,  
cum vultu tumido & exatro, ruffescente, quod  
sæpissime morbi chronicī & curatu difficilis,  
signum est.

§. II.

Totum corpus magis tamen femora & na-  
tes contabescere incipiunt cum continuo tre-  
more quasi paralitico; qui tamen omnes insul-  
tus & febre, & tussi, & difficiili respiratione ex-  
pertem, tenuere ægrotum; unicam si excepe-  
ris transpirationem, alias in plantis solitam,  
nunc omnino ablatam; ægrotus autem semper  
melancholicus & timidus fuit.

§. III.

Ægrotus refractæ quidem ad electrum  
mentis, occularis tamen plurium felicium ele-  
ctri-

Electricitatis effectuum testis, tedium sanc & pro operante, quam proficit ipso subit curam 60 dierum intervallo protractam. consideratis & causa & symptomatibus, morbum a vitiato nervorum provenisse systemate; initium scintillarum faciebam ab origine nervorum, motui inservientium. Denutato itaque dorso juxta longitudinem spinæ ex nucha, collo, ex integra spinæ dorsalis plaga, ex regione renali, & femore primo die scintillæ elicerebuntur.

§. IV.

Durante & finita operatione ima, observabam totius corporis notabilem transpirationem, ad manus etiam se extendentem: quod vero phænomenon timidæ contra electrum imaginationi, quam ipsi electricitatis effectui adscribebam. Nro 1. Ast, observans, hunc ipsum sudorem per totum electrizationis tractum semper apparuisse, licet sensim & sensim in minori quantitate; aliter sentire cœpi.

§. V.



## §. V.

Ratione nulla habita nec suæ delibitatis, nec auræ importunæ, electrica ægrotus continuat pericula, quibus quoties finitis, toties duabus vel tribus horis se lecto commisit, cum succedente quodam levi sudore; de nocte vero, copiosiore; qui sudor pluribus septimanis tenacis & viscidae fuerat indolis, sed cum successu temporis in ea ratione, qua sanitas videbatur restituti, visciditatem suam depositus, magisve fluidus fuit.

## §. VI.

Sudoris vero copia ad plantas, & sub axillis major ac in aliis corporis partibus fuit. Quacunque operatione finita, fulcrum piceum, cui ægrotus institut stipatus, & discalceatus, sudore copioso fluens, debuit purgari; sic & ille sudor sub axillis erumpens vestem penetravit. Die decima spontaneus sudor in plantis pedum alias consuetus Nro 2. de novo se manifestavit, cessans denuo, postquam decem dies sine operatione

ratione effluxere, qua reincepta & nocturnus  
& plantaris sudor rediit.

§. VII.

Electricitas augmentata odorem sulphureum spargebat, qui continuam electricitatis operationem comitabatur & fortassis a sudore ex axillis excitato majorem accepit impressionem.

NRO. 3.

§. VIII.

Pulsus semper erat celer, durante operatione non tantum, sed etiam durante in lecto sudore, imo interdum adeo vehemens, ut fere febrilem reputarem illum, qui tamen cessante sudore ad statum naturalem rediit.

§. IX.

Secundo operationis ad finem vergentis die, artuum firmitatem quandam in ægrotō observabamus; & homines alias ægrotum gradientem aut scalis descendenter suffulciantes, affirmabant, illum ipsis majori cum corporis facilitate innisum esse; vigor indies increvit, & tremor totius corporis, præsertim erecti, success-

sive



sive diminutus, demum omnino cessavit. Lingua mucositatem amittit cum incipiente solidorum alimentorum appetentia.

## §. X.

Ægrotum jam domi libere ambularem, electro balsamico excipere tentabamus, sperantes citiorem operationis absolutionem. Differentia colorem inter & vivacitatem scintillarum erat nulla; sed major illarum punctio ab ægroto accusatur; quod phænomenon & ab aliis idem electricitatis periculum instituentibus affirmatur. NRO 4. Sudore demum ultimis quinque diebus aucto sanitas firmam figere sedem videtur; ægrotus, antea non nisi baculo stipatus, ad me veniens, nunc liber ambulare suosque in urbe amicos invisere incipiebat cum plenaria refractarii mali cessatione.

## REFLEXIO ad NRUM I.

## §. XI.

Est ergo effectus electricitatis summe actius provocatio sudoris: sic memini juvenem electrici-

electricitate balsamica intra 8to dies ex enormi  
pedis fluxione serosa restitutum, postquam  
singulis diebus ex ipso pede in lecto mane su-  
dabat; æque citam operationem in nosocomio  
circa puellam quandam morbo articulari labo-  
rantem observavi, ubi vitrum massa quadam ex  
bals. peruv. copaiv. gum. benzoe Myrrh. Elemi  
&c. composita, fuerat intus munitum; quem  
refrangentissum odorem sudor puellæ immita-  
batur cum omnium adstantium stupore.

§. XII.

Ex his itaque allegatis concludere est, par-  
ticulas balsamicas vitrum penetrantes sese cum  
effluvio electrico jungere, & cum illius vehi-  
culo in corpora transire: & sic fors potest co-  
piosior sudor inde excitatus potius illis particu-  
lis, quam fluido electrico adscribi merito:  
saltem sudoris coaugmentatio. Nam plurima  
experimenta vidi & institui cum vitro simplici,  
quæ semper sudor subsequebatur:

§. XIII.

Videtur ergo rectius concludere ille qui in  
electro easdem statuit virtutes ac in remedii

D

atte-

52 *Tentamina physico medico electrica,*

attenuantibus resolventibus deobstruentibus :  
habita tamen ratione experientiae , quod tale  
additum tali , faciat magitale.

§. XIV.

Electricitas ergo meretur , in ordine me-  
dicamentorum semper crisi operantium col-  
locari ; nam tollit non tantum præsentem mor-  
bum , sed recidivam antevertit , & nullum ti-  
morem post se relinquit supervenientis alius  
morbi . Ast ut dicam quod res & necesse est ;  
accuratissimum regimen personis electricitate  
utentibus inculcandum est , præsertim ut acces-  
sum aëris frigidi crisi interturbantis a se ar-  
ceant .

§. XV.

Vidi enim homines periodica cephalalgia  
laborantes , optato cum effectu electricitate li-  
beratos , ex incauto auræ refrigerantis usu denuo  
redicivos , ut non nisi summa cum sanitatis ja-  
ctura evaserint : æquali fato fœmina quædam  
malo isciatico terria vix non perfecta ope-  
ratione fere liberata , aëre & loco ad residen-  
dum humido & frigido usa , febri tertiana tem-

pore



pore alias insolito correpta fuit, qua non nisi longo tempore, immensurabili medicamentorum febrim fugantium farragine potuit restitui.

§. XVI.

Medico itaque electricitate operanti summae curæ sit, ægrotis suis electro tentatis tunc temporis quietem in lecto recommendare nec non aëris injurias sollicitissime desuadere; præsertim ubi subventuri sudoris critici morbum quasi per partes amputantis suspicio est.

§. XVII.

Quæ suspicio semper fundata est, quam primum materia morbi copiosa, v. g. in rheumatismis, serosa Colluvie, aut in humorum metastasi, aliisque hujus generis fluxionibus. Ubi vero materia morbifica jamjam subtilior, & in minori adest quantitate, sed potius qualitate peccans, ut v. g. observare est in certa quadam cephalalgiae specie, cum dolore fixo, aut aliarum corporis partium, tam conscientiosa cautela præsertim favente aura, vix opus est.

D 2

§. XVIII.



## §. XVIII.

Sudor enim electricitate provocatus, s̄ep̄isimē tempore nocturno erumpit, post secundam vel tertiam operationem, dum nempe materia morbifica jamjam vel aliqualiter attenuata, satis cocta, & ad tubulos cutis excretorios proportionata est: sudoris enim critica expulsio frequentissime ad finem usque operationem comitatur. Qua de causa pr̄estat, tempus vespertinum eligere ad operationes electricas, ut electricatus, quin negotiis distrahatur, per aliquot horas sese lecto committere & pedissequum sudorem commode excipere possit.

## Ad NRUM. 2.

## §. XIX.

Sudor pedum plantaris, quem ordinario omnes electricizati fulcro resinoso insistentes experiuntur, notabile signum est, fluidum electricum in hanc partem liberius agere, quam attritu solidorum & fluidorum ad aucto ad maiorem transpirationem disponit: non incongruum tamen foret, asserere, quod fluidum electricum ideo ad plantas pedum magis agat,

quia

quia immediate resinosæ insistunt massæ, quæ majorem, attrahendo, cum electrico elemento affinitatem habet: ad hanc veritatem explorandum deberet tantum electricandus alii pedibus insistere fulcro, v. g. serico, & brachium piceæ incumbere massæ, experiendi causa, utrum brachium non primario sudorem contrahat.

Ad NRUM. 3.

§. XX.

Neudiquam dubito, jamjam plures industrialiter experimento electrico occupatos hunc odorem phosphorum redolentem expertos esse in hominibus tam sanis quam ægrotis, dummodo efficaciter electricatis ad transpirationem & sudorem facile depositis; quod phænomenon non tam particulis electricis, quam ex corporibus communicative electricatis, avolantibus adscribendum censeo.

Ad NRUM 4.

§. XXI.

Inventionem, vitra electrica variis materiis convenientibus obliniendi intus, & hoc metho-

D 3

do



do mirabilius operandi, plurimis ab hinc annis  
jam floruisse, neminem, nisi electricæ historiæ  
hospitem latet, utrum vero ad hunc scopum  
tenaciora aut volatilia præferenda sint, saltem  
quo ad diuturniorem effectum obtinendum,  
non immerito dubitabis. Hinc materiam sul-  
phureo resinosam præeligere mallem, ad acti-  
vam magis & fortiorem reddendam electrici-  
tatem.

## §. XXII.

Instituatur experimentum cum globo aut  
cilindro vitreo, hic & ibi tantum cera, v. g.  
sigillatoria intus inducto, & videbitur filum lini  
in parte nuda minus attrahi, quam in parte ar-  
mata. Idem globus aëre vacuus corpora levia-  
ra nullibi nisi in parte armata attrahet. Quod  
phænomenon subtilioribus ceræ sigillatoriaæ  
partibus vitrum penetrantibus adscribi potest,  
& admodum verificatur, si v. g. filum globo  
crystallino includatur, & vitro cera sigillatoria,  
aut ambra, electricizatae successive admoveantur;  
tunc filum perfecte clauso vitro in motum agi  
videbitur.

## §. XXIII.

§. XXIII.

Nemo physicorum dubitat & admiratur; ope ignis corporum porositatem recludi posse, sic v. g. metalla volatilizatu difficultima vitra penetrant, igne admoto. Spiritus cornu cervi in ampliori recipiente vitro destillatus guttatum penetrari jam observatus fuit: sic & metalla vasis vitreis aut vitratis diu hermetice inclusa longius igni exposita, pondere aucta, inventa fuere: hæc itaque experimenta ignis validioris & majoris incandescentiæ effectus sunt.

§. XXVI.

Sed, quomodo hoc in operatione electrica accidit, ubi attritu exiguo, incandescentia ferre nulla præeuntibus, non tantum subtilores particulæ sed & grossiores v. g. odoriferæ vitri poros penetrant?

§. XXV.

Liceat varias casu detectas observationes ad hoc allegare vitrum terebintina cypria intus super inductum, extus spiritu vini & vitello ovi exacte repurgatum; elapsis paucis diebus electricatum duobus minutis, spargebat odorem te-



rebintinaceum in distantia duorum circiter a se pedum, quem naribus electro admotis & ego & alii fortius percipiebamus. Repetitum eundem edidit odorem, quem etiam elapsa dimidia hora cubile intrantes ad huc sentiere: cætera instituta experimenta odore expertia manfere: promanantibus tamen scintillis fortioribus.

### §. XXVI.

Simile Phænomenon observavi in vitro intus recenter gumi benzoe superinducto, quod ad refrigerandum aliquali distantia, sed exigua ab igne remotum, paulo post eundem sparsit odorem; suspicans a quibusdam extus adhærentibus particulis hunc provenire, repurgavi vitrum sollicitissime, elapsis ab hinc 3bus horis denuo illud igni admovi, & eundem aperte percepit odorem, quod experimentum quinqüies institutum idem præstigit phænomenon. Aliis vero repetitis vicibus etiam electricatum nullum amplius effudit odorem.

### §. XXVII.

Hujus phænomeni ratio videtur ergo tantum subsistere in materiis recenter vitro inclusis

sis & motu, aut igne, aut frictione in morum raptis, & volatilizatis. Ast fortassis quis contrarium asserens rem ita explicat, quod hic odorum effluxus ab aperturis vitri emanans, vitriporos igne reclusos ab extus intrare conatur. Sed per renitentem vitri fibrarum oscillationem denuo repulsus & sic dispergatur.

### §. XXVIII.

Hoc argumento stante non potest explicari, cur hoc phænomenon non in omni vitrorum genere observetur, in quibus tamen alia pericula electrica instituta feliciter & ad vota cedunt: quod hic vitrorum illorum major vel minor, densior vel rarior fibrarum textura, consequenter etiam artis vitriariæ differentia in censem merito venire possint, non adeo absurdum est affirmare.

### §. XXIX.

An non ope electrica putrefactio a corporibus saltem aliquo tempore potest arceri? concurrente vehiculo electrico transmissio odorum ad certam etiam distantiam observata fuit, ergo & in corpora animalia aut vegetabilia; & con-

sequenter cum eodem effectu odorum antipudrinosorum æmulo.

### §. XXX.

Sequens experimentum fors fidem asserto consiliabit; suspensam tubo electrico catenam 30 pedes longam per foramen quoddam portam penetrans in vicinum placeate collocar cubile, & instituta operatione in extremitate catenæ phænomina scintillantia observabuntur: his prævie tentatis injiciantur igni electricæ machinæ subposito v. g. frusta balsami toletani & elapsis duobus minutis non in toto vicino cubili, sed ex extremitate catenæ idem resultabit odor. Quod experimentum sæpius institutum fidem aliorum præsentium convicit sed non cum eadem perniciitate electrica, quæ videtur cum illa luminis primario convenire.

### §. XXXI.

Statæ itaque hac experientia assertum non inique resultat, corpora electricitate balsamica imbuta non tantum odore circumdari, sed & penetrari, imo odorifera reddi posse: . . . an non experimentum cum resinosis laxantibus

reme-

remediis instituendum! assertum cl. Hoffmanni  
remedia laxantia vi sua volatili agere non pa-  
rum sufficit spem. Instituat quis, amarem,  
experimentum cum massa aloetica, aut scam-  
monea, aut gummiguttacea, cum stupore &  
summa satisfactione lærus ab electro recederet.

### §. XXXII.

Pro ut electricitas balsamica adjuvat effe-  
ctus salutares; sic etiam partes corporis electri-  
zandæ spirituosis aut balsamicis illinitæ medi-  
camentis in se augmentant & concentrant vir-  
tutem electricam: sequens experimentum rei  
dabit fidem; si brachio aut manui hominis elec-  
trizandi oleum olivaceum & axungiam por-  
cinam plagatim infricas, scintillas vividiores ex-  
illa plaga oleo olivarum inficta experieris: sic  
ex plaga, aqua, humectata non nisi scintillas  
vix visibles & cœrulescentes videbis: si vero  
partem quandam spiritu vini imbuas fricando,  
& frequentiores & vividiores procreabis scin-  
tillas.

### §. XXXIII.



## §. XXXIII.

Electricitas obstructam non tantum recludit alvum, sed & liberiorem reddit, etiam simpliciter electricizatis; idem observatum fuit in paralitico, qui post quamlibet commotionem electricam etiam exiguum, diarrhaeum passus est.

## §. XXXIV.

Particulas electricas aliquam diu in corporibus electricizatis inhærere, invictum est argumentum. Sed unde pruritus velut scabiosus derivandus, quem plures electricati summa cum molestia, in lecto cubantes experuntur? annon quod particulæ electricæ post operationem corpori infixæ manentes, calore lecti resuscitatæ, extremitates fibrarum nervosarum subcutanearum irritant. An quod acrimoniam in corpore latitantem exaltent --- & ignis & lucis proprietas est, certis quibusdam corporibus adhaerere & ibi commorari.

## §. XXXV.

Annon Electriciate simplici, Martyrei podagrorum insultus sublevandi, abbreviandi,

&amp;



& risum tene amice lector, fugandi? --- mysteriosa martyrii materia (cum vulpe vulpinandum), mysteriosa fors electri vi debellanda.

§. XXXVI.

An pericula electrica in subjectis venereis citra piaculum tentanda? --- an in hominibus multo mercurio usis? --- ratio contraria; operatio frivola, experientia fallax.

§. XXXVII.

Annon loci pro servanda electrica machina ratio habenda? ante aliquod annos minorem ex tenui vitro globum materia balsamica intus munitum, ab ægrotodomi redux ad manus summere volens, experiendi causa, fulgurante cœlo majorem aut minorem efficaciam, & ecce, in centenas rimas diffissum oculis prehendi globum: serio inter domesticos desuper instituto examine, uxor mea: apage hac cum tua machina: tumultuosum quandam strepidum sola in cubili residens, circa illam percepi, chartam in auratam globo vicinam videns commotam, & agitataam, muris præsentiam furtivam suspicans,

mani-



manibus locum examinare volui, & en, mille-  
in digitis punctulas persentiens cum vario nitri-  
zante sono, & titillatione repulsiva, unde ani-  
mitus perterrita, cubile fugacissimo saltu de-  
serui.

## §. XXXVIII..

Unde hæc enormis fissio? an fors machina  
efficaciter onerata perstitit, & admota manu ef-  
ficaciam suam usque adeo retentam exoneravit  
summo cum impetu? an a ratione loci, ubi ma-  
china collocata stabat, perfectissime responden-  
tis cum vehementissime hac die incidentibus e-  
diametro solis meridiani radiis, unde factum,  
ut aer intus perfecte inclusus & fixus expansi-  
vam induens indolem, tactu attrahente summo  
cum impetu eruperit, an quia pori vitri tenui-  
oris ab impetuose evibrato fluido electrico, ul-  
tro diametrum suum expansi, in rimas necessi-  
tati & acti fuere? unde autem chartæ inauratae  
agitatio! an ab aeris electrici in globum allisio-  
fione, illiusque a muro, cui machina proxime  
collocata adstitit, alternativa reflexione!

## §. XXIX.

§. XXXIX.

Quid aura donante de gestatione perlarum succinearum in collo, more mulierum rusticarum & judæarum solito? --- anno elapsso, mulierem pro operaria mercede frumenta falcentem, cœlum vehementissime tonans effugere volentem, & pro dolor, fulmine concussam, centenaliter visitavi, quæ dupplicem perlis succineis infilatum annulum collo gestabat; in hujus colli anteriore & media parte incipientis fulminis vestigia apparuere, quandam epidermitis russam escharam relinquentia, abhinc fulmen arctissime eursum suum continuabat circa circum ipsum annulum versus latus sinistrum, capillis ad ejusdem aurem & nucham versus, combustis, & ecce, præcisè ibi, ubi ultima perla erat, fulmen deseruit collum, juxta spinam dorsalem, ab osse coxae inter nates ad pubem combustis ibi quoque capillis ad femur dextrum & supra illud, ad ejus externam plagam itinerans, evanuit: in ejusdem lateris sacco vestali cultrum, paucosque nummos, habuit



buit & hac ipsa manu falcem suam firme adhuc tenuit misere defuncta.

§. XL.

An in subiectis plethoricis electricitas secunda? an in gravidis? an foro prævia V. sectio timorem tollit? an in hominibus ad tabem inclinantibus? sputoque critico laborantibus, aut tuſſiculantibus? --- fluidum electricum vasorum oscillationem stimulat, fluidorum volumen auget, ilorum ebullitionem exaltat, suppurationem excitat, inflammationem gangrenat, & quemlibet medicum in hisce casibus jure derreat.)

Summa cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur; quod est rerum omnium.

F I N I S.







W 18

PICA





Si medicis nosocomiorum, non nova modo  
pharmaca, verum etiam plura non satis proba-  
ta, maior tentandi accederet animus, nullum  
arti suae utilius capesserent opus, nullumque  
maius inventum, nomini honorique gloriiosius.  
Sic uniuscuiusque remedii vero usui veritatis  
infallibile imprimerent sigillum, & illam scien-  
tiam partem scientiam nempe medica-

(3)  
**FASCICULUS**  
**TENTAMINUM PHYS. MED.**  
**ELECTRICORUM**

CUM

NATIS INDE REFLEXIONIBUS.

~~~~~  
QUEM

I N H O N O R E M
ONOMASTICÆ, NATALITIÆ,
AC
AD EPISCOPATUM
CONSECRATORIÆ
FESTIVITATIS
REVERENDISSIMI AC CELSISSIMI
P R I N C I P I S

SUI

EDIDIT

HENRICUS GROSSEN,
PHIL. ET MED. DR. PRACT. COLL. MED. PRACT.
ELECT. PALAT. SODALIS. PHYSICUS EMER.

Ex Bibliopol. Rieppneri.

Wurzburgi, typis Francisci Sebastiani Sartorius, Typ. Aul.

